



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXIII. Magdalena monstrum mutatur in Diuam pulcherrimam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

L X I I I.

MAGDALENA *monstrum mutatur*
in Dianam pulcherrimam.

VT septena nocens Lernæi cornua monstri
Monstrifero speculo vidit, & erubuit
Magdalis, (ah miseram!) tot inhorruit ilicet
hydri,

Prompta mori, nisi spes alma secundet opem.
Protinus accurrit lacrymosa doloris ad vndas,

Balnea quò puro flumine pura bibat.

Funestâ quam sorte premit ius mortis & Orci,

Eripiet Stygio mox pia lympha lacu.

Illa potis calido fera monstra deurere fletu,

Illa potis blandis vincere Numen aquis.

Illa vouet faciles non duro in Numine vultus,

Illa nouum casto spondet ab imbre decus.

Quàm trahit intus amans arcano sidere **I E S V S,**

Tam foris humano suscipit vltro sinu,

Inuitatque ream: nec fecit illa benignum

Influit in gremium, Numine iussa frui.

Quàm flagrat intus Amor vis imperiosa pudoris,

Tam foris os pingit purpura casta pudor.

Cui citimo radio simul ac caput icit **I E S V S,**

Frons modò silua feris, iam rosa viua rubet.

Vndique, cerne, comis fluxere virentibus hydri;

Quaque fluunt hydri, crimina fœda cadunt.

Terror abit, rugaque graues, seniumque doloris,

Et frontem nitido pumicat ore Charis.

Candida cygneis obnubit tempora vittis,

Qui sedet ingenuo pectore virgo Pudor.

Sic aliam ex aliâ iam Magdalin ambit IESVS;
E Strygio monstro, sponfa fit apta Deo.

X L I V.

Pia fraus Amoris.

NYMPHA verecundis gena cui micat illita
guttis,
Quæque bipertito diluis amne pedes;
Falleris, & nescis. nec falleris. alba gemello
Te dare fonte putas balnea? flendo capis:
Teque lauas lacrymis, (an & hæ quoque fallere
doctæ?)
Quin etiam lymphas imbibis ipsa tuas.
Oscula nam riguis vbi figis hiantia plantis,
Crinis & ora bibunt quas gena fundit aquas.
Cerue, tuas rigat vnda genas prius illita plantis:
Sic redit ad fontem riuus vterque suum.

Pœnitentia exscindit vlcus Conscientiæ.

Quo te pennigeris super euehis astra qua-
drigis?
Siste, precor, volucres ad tua frena rotas.
Siste, precor, seu tela placent, seu termes oliuæ:
Magdalis alternâ præmia forte leget.
Vfus erit telis, pacalibus vsus oliuis:
Magdalis iccta gemit, & noua sæcla trahet.
Hinc Amor, inde dolor, concors stat cura me-
delæ:
Hic ferrum, medicas suggerit alter aquas.
Vindice sub ferro crudum dolor exsecat vlcus,
Sed medico succo Magdalin yngit Amor. Sic.